



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 2. Ea ipsa, quæ naturæ mala censentur, bonis in bonum provenire.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

prohiberētur. Hinc morbi, mortes, & multa, quæ mala vocantur, intercurrunt: quæ quando rerum naturis conuenienter condidit DEVS, non utiq; iratus fuit, cùm non haberet, cui irasceretur. Vt sol omnibus lucem circūferret, moueri debuit; si moueri, occumbere. Nec enim rursus oriri posset, si non occūberet. Quare necessaria est noctis & diei vicissitudo. Nec homines hominibus, in officijs, in regnis, potestate succederent; si non decederent, qui ea prius habuêre.

§. II.

Ea ipsa, quæ natura mala censentur, bonis in bonum prouenire.

Per hæc, æterna sapientia ita Mundum gubernandum iudicauit, vt quæ malis mala sunt, quia ipsi nesciunt uti, ea bonis bona fiant; & hinc isti uiuant, *sicut lilium inter spinas*; illi, sicut asinus inter apes. Hac de causa Gentes ita alloquitur Tertullianus: *Qui semel (DEVS) æternum iudicium destinauit, post seculi finem, non precipitat discretionem, quæ est conditio iudicij, ante seculi finem. Aequalis est interim, super omne hominum genus, & indulgens & increpitans. Communia voluit esse & commoda profanis, & incommoda suis; ut pari consortio omnes & lenita-*

Cant. 2. 2.

Tertull.
in Apo-
loget. ad-
uersus
Gent.
cap. 41.

nita-

14. Cap. II. Non omnia mala esse,

nitatem eius; & seueritatem experiremur: quia equitatem didicimus; apud ipsum, diligimus lenitatem; metumus seueritatem. Vos (Gentes) contra, utramque despicitis: & sequitur; ut omnes seculi plaga nobis, si forte in admonitionem, vobis in castigationem, a Deo obueniant. Atqui nos nullo modo ledimur: imprimis quia nihil nostra refert, in hoc auro, nisi de eo, quam celeriter, excedere. Dehinc, quia si quid aduersi infligitur, vestris meritis deputatur. Sed etsi aliqua nos quoque perstringunt, ut vobis coherentes; letamur magis, recognitione diuinarum predicationum, confirmantium scilicet fiduciam & fidem spei nostra. Sunt enim quasi arrha, aut diuinæ amicitiae symbolum; quæcunque nos inuitant; immo; tanquam calcaria, incitant, ut ad melioris vitæ brauium alacrius decurramus.

§. III.

Bona malis nocere, mala bonis prodesse, atque hoc pacto bona fieri.

Non igitur mala sunt, quæ mala vulgò censentur, nisi malis; quibus ipsa bona nocent; non tamen idcirco in malis numeranda. Vis videre, quo modo bona malis noceant? Aristotelem audi. *Ut homo, inquit, perfectionem nactus, animantium est optimus*

Aristot.
li. 1. Polit.
cap. 2.